

3° Si qua res effecta est miscendo materias ad plures dominos pertinentes ita ut nulla ex his tamquam principalis spectari possit, commixtae autem ab invicem separari possunt, jus est domino, quo inscio commixtio facta est, ad divisionem petendam. At si jam sine incommodo separari nequeunt materiae mixtae, ambo commune mixtionis dominium habent pro quantitate, qualitate et valore materiae quae ad singulos spectat. Ut autem suum cuique tribuatur, vel publice vendenda est mixtio, vel reddenda materia aut pecunia valore aequivalens rei quae, inscio domino, alteri mixta est. (C. C. a. 573 seqq.) Haec dicitur *mixtio*.

### § 3. DE PRAESCRIPTIONE.

489. Praescriptio est modus acquirendi dominium vel se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum et sub condicionibus lege determinatis. (C. C. a. 2219)

Hinc distinguuntur praescriptio acquisitiva et praescriptio liberativa : de quibus, cum diversas sequantur regulas, juvabit se junctim dicere.

#### Punctum I. — De praescriptione acquisitiva.

490. Ut hac praescriptione dominium in foro conscientiae acquiratur, requiruntur quinque condiciones : res praescriptibilis, possessio, titulus, bona fides, tempus legitimum. De singulis quaedam notabimus.

**I. Res praescriptibilis.** Talis est quaecumque res pretio aestimabilis, corporalis vel incorporalis, quae dominii privati objectum esse possit. (n. 467) Ideo praescribi nequeunt res vel jura quae ad publicum Status vel municipiorum dominium pertinent, ex. gr. viae et plateae; praescribi vero possunt bona quae a Statu vel municipiis, privatorum instar, possidentur, ex. gr. agri vel domus quae sint in Status dominio. (C. C. a. 2226 seqq.) Similiter a laicis praescribi nequeunt res sacrae, quae sollemniter Deo consecratae et usibus sacris addictae sunt, ex. gr. ecclesiae, calices, etc. Eaedem tamen a clericis vel, si exsecratae fuerint, etiam a laicis praescriptione acquiri poterunt, siquidem, in his casibus, legitime possideri possunt. Cfr. Canonistas l. 2. Decr. t. 26 explicantes.

**II. Possessio.** Haec definitur (a. 2228) : “ Detentio vel fruitio rei vel juris quod tenemus vel exercemus per nosmetipsos vel per alium qui nostro nomine rem tenet vel jus exercet. ”

Varias autem qualitates possessio illa habere debet ut praescriptioni fundamentum praebeat, vid. ut sit (a. 2229) :

1° *Continua* seu non interrupta. Interrumpitur autem praescriptio vel *naturaliter*, quando possessor diutius quam per annum rei fruitione privatur, vel *civiliter* per citationem coram iudice significatam ei quem quis impedire velit ne praescribat. De his plura v. C. C. aa. 2242-2250. Nec confundatur praescriptionis interruptio cum ejusdem suspensione. Quaeenam autem causae in jure nostro ejus cursum suspendant, exponit C. C. aa. 2251-2259.

Non interruptitur autem praescriptio per translationem ejusdem rei ab uno possessore ad alium. Ideo poterit semper simul computari totum tempus per quod plures possessores bona fide rem possedere.

2° *Pacifica*, ita ut nullus alius, qui se proprietarium esse contendat, conetur rem vel jus possessori per vim auferre.

3° *Publica*, i. e. ratione minime clandestina possessionem suam exercendo, sed ita ut quicumque voluerint, eam advertere potuerint.

4° *Non aequivoca*, quales forent actus proprietarii exerciti ab eo qui rem indivisim cum aliis possideret, et postea iis actibus inniteretur ut se solum rei dominum probaret.

5° Cum *animo proprietarii*, seu animo habendi rem ut suam. Ideo numquam praescribere possunt qui rem titulo precario detinent, ut usufructuarii, depositarii, etc.

**III. Titulus**, seu causa quae de se apta sit ad dominium acquirendum, ex. gr. donatio, emptio, sed occulto vitio laboret ob quod hunc effectum non pariat, ex. gr. quia venditor vel donator non erat rei emptae dominus. Hic titulus dicitur *coloratus* et plerumque requiritur, excepta praescriptione 30 annorum de qua infra.

491. **IV. Bona fides.** Haec in eo sita est quod “ existimatio mentis correspondet animo, ut, sicut habes animum possidendi ut tuum, sic iudices illud esse tuum. Mala vero fides e contra est quando discordat iudicium mentis ab animo : iudicas enim non esse tuum vel non iudicas esse tuum, quod vis possidere ut tuum. ” (Lugo, de Just. et J. disp. 7. n. 16) Hujus condicionis necessitas clare apparet ex jure naturali : siquidem qui non existimat rem quam possidet esse suam, nequit eam sine injuria tamquam suam habere, sed tenetur eam noto domino reddere vel ignotum quaerere. Ideo Conc. Lat. IV edixit : “ Synodali iudicio definimus ut nulla valeat, absque bona fide, praescriptio tam canonica quam civilis. ”

Requiritur ergo ad bonam fidem iudicium non necessario speculativum, sed saltem practicum, rem utpote nostram, licite a nobis possideri. Quare, si quis sine ullo dubio inchoavit possessionem, postea autem supervenit dubium num res possessa sit aliena, manet in bona fide et

praescribere potest, dummodo diligentiam debitam faciat ad veritatem investigandam, quamvis, facta investigatione, dubium perseveret. Ratio est quod, cum in dubio melior sit condicio possidentis, non debet se propter solum dubium spoliare possessione quam bona fide inchoaverit. At si ab initio dubitatur utrum res sit nostra an aliena, non licet possessionem inchoare, alium possessione sua privando. (Lugo, l. c. n. 18; S. Alph. l. 4. n. 504)

**QUAER.** Num mala fides prioris possessoris impediat ne praescribat qui rem possessam bona fide ab eo acceperit, ex. gr. per hereditatem.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Profecto non est admittenda illa mala fides in antecessore nisi de ea certo constet: siquidem nemo censetur malus donec probetur.

2<sup>o</sup> Mala fides prioris possessoris impedit quominus res ab ejus successore praescribatur, quando is ei succedit tamquam heres seu ex titulo universali. (n. 671) Ratio est, quod heres ita repraesentat personam defuncti ut in omnes ejus obligationes et onera succedat, consequenter etiam in obligationem restituendi rem vero proprietario et damna ei illata resarciendi. (Lugo, l. c. n. 60) Probabiliter tamen, propter universalissima verba C. C. a. 2262, mala fides antecessoris non impedit quominus extinguantur omnes ejus obligationes per possessionem hereditatis cum bona fide per 30 annos. (Gury, l. n. 590) Similiter jam non nocet mala fides antecessoris heredi mediato, utpote qui nulla ratione censeatur personam mediati antecessoris repraesentare, licet multi, ex. gr. S. Alph. (n. 512), contrarium tamquam probabilius teneant. Ceteroquin, ut advertit Ball. P. (n. 308), in praxi casus vix locum habebit, quia plerumque occurret praescriptio longissimi temporis.

3<sup>o</sup> Mala fides antecessoris non impedit quominus praescribat successor particularis: quo nomine intellegitur quicumque non succedit ut heres vel titulo universali, puta per donationem inter vivos, contractum onerosum, legatum particulare. Nam nulla exstat ratio ob quam, eum bona fide et titulo, rei dominium acquirere nequeat, cum nullatenus induat antecessoris personam sicut heres. (Lugo, l. c. n. 58)

#### 492. V. Tempus legitimum. Scilicet:

1<sup>o</sup> Omnia bona tum immobilia, tum mobilia, dummodo praescriptibilia sint, acquiri possunt possessione 30 annorum. Ita deducitur ex C. C. a. 2262, qui tamen directe de praescriptione liberativa procedit. Lex, post tantum temporis intervallum, nullum requirit titulum: quod etiam in conscientia servari potest, dummodo adsit bona fides. Titulus nempe ab ipsa lege, ob pacificam tanti temporis possessionem, adfuisse praesumitur. (Gury, l. n. 583)

2<sup>o</sup> Res immobilis justo titulo acquisita praescribitur 10 annis, si verus proprietarius habitat in illo territorio curiae regiae in quo ipsa res praescribenda sita est; non praescribitur nisi 20 annis, si idem proprietarius in territorio alius curiae regiae habitat. (C. C. a. 2265 seqq.) Hoc autem in Belgio intellegendum de territorio curiarum appellationis Bruxellensis, Gandavensis et Leodiensis.

3<sup>o</sup> Res mobilis quam quis bona fide acquisivit ab eo qui non erat illius dominus, sine ullo temporis lapsu fit acquirentis, ex. gr. utensilia apud aliquem deposita et ex errore alii vendita. Ita interpretantur Jurisperiti verba satis obscura C. C. a. 2279: "In mobilibus possessio est pro titulo." Ibidem additur: dominum rei amissae vel furto sublatae posse eam repetere per tres annos ab eo in cujus manibus versatur; is tunc recurrere poterit contra eum a quo rem accepit. Attamen ab eo qui rem furto sublata vel amissam emit in nundinis, in licitatione vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet, dominus rem suam repetere nequit, nisi soluto pretio quod ipse possessor alii solvit. (a. 2280)

Quae leges ut melius intellegantur, notare juvat sequentes condiciones requiri ad a. 2279 applicandum:

a) Ut possessor titulo non precario, sed proprietatis possideat. Ideo, si res amissa vel furto sublata adhuc in manibus furis vel inventoris versatur, is nequit se hujusce legis beneficio tueri. Actio contra talem possessorem non praescribitur nisi 30 annis.

b) Ut adsit bona fides, quippe cui soli legislator favere intenderit.

c) Ut agatur de mobilibus corporeis, quibus tamen assimilantur credita, quae dicuntur "*effets au porteur*", quia eadem facilitate ac merces corporeae vendi et emi solent. Cfr. Laurent, *Élém. de Droit civil*, t. 4. n. 711 seqq.

d) Cum in his legibus nullum temporis spatium requiratur, non agitur in iis de praescriptione proprie dicta, sed de translatione dominii ob difficultates saepe orituras si res mobilis esset, per interventum judicis, pristino possessori reddenda. Minime tamen denegat legislator ei qui injuste laesus fuerit actionem contra laedentem.

Utrum illae dispositiones in foro conscientiae servari possint an unice denegent actionem illi qui rem suam coram iudice repetere vellet, controvertitur. Eas acriter aggreditur Ballerini (nota ad Gury, l. n. 586); sed probabilius eas etiam in foro conscientiae valere tuentur plerique recentiores, ut Gury (l. c.), Waffelaert (de Just. t. I. n. 249), Van der Moeren (de Just. p. 61), etc. Ratio est, quod legislator civilis videtur potuisse talem translationem dominii facere ad favendum securitati commercii rerum mobilium et stabilitati pactorum, neque ullo argumento stringenti probatur laedi jus prioris domini sine congrua compensatione. Plurimae difficultates evanescent si non solus textus legis

inspicitur, qui vere obscurus est, sed simul interpretatio quam e doctrina jurisperitorum accepit. (1)

**Punctum II. — De praescriptione liberativa.**

**493.** Quae de possessione et titulo dicta sunt inter condiciones praescriptionis acquisitivae, in praescriptione liberativa practice cum bona fide confunduntur, ut notat Waffelaert. (l. c. n. 250) Quare tres tantum condiciones ad hanc alteram praescriptionis speciem requiruntur: debitum praescriptibile, bona fides, tempus legitimum.

**I. Debitum praescriptibile.** Nempe oportet ut nulla lex civilis (ut a. 328) vel divina aut ecclesiastica obstet quominus debitum extinguatur.

**II. Bona fides.** Haec in eo consistit quod debitor credit se nihil debere vel invincibiliter debitum ignorat. Non praescribit vero qui, etiam sine peccato, longo tempore solutionem debiti differt. (Lugo, de Just. et J. disp. 7. n. 49) Practice haec bona fides vix reperiri potest in primo debitore, facilius in eo qui primi obligationibus succedit.

Si quis autem, ex conventionem vel poena, tenetur tantum ad pecuniam summam solvendam creditori vel judici poscenti, non autem ad eam sponte offerendam, videtur praescribere, si, per tempus legitimae praescriptioni statutum, nihil ab eo exigatur. Bona autem fides, in hoc casu, consistit in iudicio practico quo existimat se non debere solvere antequam exigatur, et interim posse servare pecuniam debitam ut suam. (Lugo, ib. n. 50)

**494. III. Tempus legitimum.** Scilicet :

1<sup>o</sup> Omnes actiones, tam reales quam personales, per 30 annos praescribuntur. (C. C. a. 2262)

Hanc praescriptionem, modo cum bona fide conjuncta sit, valere etiam ad debitum in foro conscientiae extinguendum, nemo ambigit. Si mala fide ommissa fuisset tanto tempore debiti solutio, negaretur quidem actio in foro externo, sed maneret obligatio in conscientia. (n. 491)

2<sup>o</sup> Per quinque annos praescribuntur ea omnia quae singulis annis vel terminis periodicis brevioribus solvi solent, ut faenus pecuniae commodatae et alia quae enumerantur in C. C. a. 2277. Praecipue intendit legis-

(1) Quae a Ballerini opponuntur fuse refutavit Ill. D. Waffelaert, *Étude de Théol. mor. sur l'obligation en conscience des lois civiles*, pp. 241-257.

lator impedire ne praestationes annuae multiplicatae civium facultates exhauriant.

Talis praescriptio probabilis in foro conscientiae valet, dummodo adsit bona fides. Haec autem in primo debitore vix adesse potest. Ideo ejus usus restringitur ad primi successores, etiam titulo universalis, ut plures censent. (Waffelaert, l. c. n. 255)

3<sup>o</sup> Recensentur in C. C. nostro quaedam praescriptiones quae *brevisissimi temporis* dici solent. Ita per sex menses praescribitur *actio* magistrorum et institutorum in scientiis vel artibus pro lectionibus quae singulis mensibus compensari solent, hospitem et obsonatorum pro hospitio vel cibo praestito, operariorum pro salario suo. (a. 3261) Per annum praescribitur actio medicorum pro visitationibus suis, chirurgorum pro operationibus, pharmacopolarum pro medicinis, mercatorum pro mercibus quas vendiderint iis qui non sint mercatores, etc. (a. 2272)

Ex ipso tenore legis patet hic non exstingui debitum, sed denegari, ad plurima incommoda vitanda, actionem coram tribunalibus. Quod luculente confirmatur a. 2275, quo edicitur eos quibus tales praescriptiones opponantur, posse deferre opponentibus juramentum quo asserant se reapse debito satisfecisse.

4<sup>o</sup> Si a viduis vel heredibus postuletur solutio quorundam debitorum quae defunctus contraxisse dicatur, iudex iis imponere potest ut jurent hoc debitum a se ignorari. (a. 2275) Hoc juramentum iidem praestare possunt dummodo non habeant rationem moraliter certam existimandi hoc debitum fuisse contractum, necdum solutum. Quodsi postea deprehenderint se errasse, quidam (Waffel. l. n. 256) existimant eos in rigore jam non teneri ad solvendum, quia lex verisimiliter nihil aliud postulat ad praescribendum quam tale juramentum bona fide elicatum. Attamen contrarium verius opinamur: siquidem, ut ita exstingueretur debitum naturale, requireretur clara dispositio legis, quae hic certe desideratur; neque etiam apparet quomodo talis extinctio debiti juste statui posset, cum nulla ratione boni communis honestaretur.

N. B. In liberativa praescriptione applicanda sunt ea quae supra (n. 490) dicta sunt de praescriptionis interruptione vel suspensione.

§ 4. DE USUFRUCTU, USU ET HABITATIONE.

**495.** Usufructus est jus fruendi rebus, quarum alius dominium habet, eadem ratione ac dominus ipse, sed cum onere earum substantiam servandi. Hoc jus quandoque per legem statuitur, ex. gr. usufructus patris in pleraque bona filiorumfamilias (n. 470); quandoque inducitur per voluntatem humanam, puta per donationem, testamentum, etc. (C. C. a. 578 seqq.)

**Jura usufructuarii** determinat C. C. aa. 582-599. Praecipua sunt :

1° Usufructuarius jus habet in omnes fructus, tum naturales, tum industriales et civiles, quos producere potest res cujus usumfructum habet. (a. 582)

2° Fructus qui in arboribus pendent vel solo adhaerent quando incipit ususfructus, ad usufructuarium pertinent : qui vero in eadem conditione versantur quando ususfructus cessat, fiunt proprietarii. (a. 585)

3° Fructus civiles, qualia sunt pretia locationis praedii vel domus, per dies singulos acquiri censentur et ad usufructuarium spectant pro ratione temporis quo ususfructus duravit. (a. 586)

4° Si ususfructus complectitur res quae usu consumuntur, ex. gr. pecuniam, frumentum, liquorem, tenetur usufructuarius ad res ejusdem valoris vel earum pretium, cum cessabit ususfructus, restituendum. Res vero quae paulatim usu vilescunt, ut linteamina, non tenetur reddere nisi in eo statu in quem, per usum legitimum, deciderunt. (aa. 587, 589)

5° Usufructuarius potest jus suum locare, vendere vel titulo gratuito donare. (a. 595)

**Obligationes usufructuarii** praecipuae sunt (C. C. aa. 600-616) :

1° Usufructuarius tamquam bonus paterfamilias frui debet. (a. 601)

2° Tenetur tantum ad eas reparationes quae semper requiruntur ne res pessumdentur (réparations d'entretien) ; quae vero majoris sunt momenti (grosses réparations) a domino solvendae sunt. (a. 650)

3° Usufructuario incumbunt etiam onera annua fundi quo fruitur, qualia sunt tributa et cetera quae, ex consuetudine, censentur onera fructuum. (a. 608)

Cessat vero ususfructus variis modis quos C. C. enumerat a. 617. ex. gr. morte usufructuarii, lapsu temporis pro quo concessus est, interitu totali rei cui adhaeret, etc. Propter abusum, non cessat nisi post sententiam judicis. (a. 618)

Eadem ratione oriuntur et cessant jura *usus* et *habitationis*. Horum amplitudo determinatur per titulum quo stabilita sunt. Neque locari neque alienari possunt nisi in titulo id fuerit concessum. Qui usum fundi habet, nequit ex ejus fructibus sibi vindicare nisi quod ipsius ejusque familiae necessitatibus sufficiat ; similiter ei qui jus habitationis accepit licet tantum occupare quod necessarium est suae ac familiae suae habitationi. Uterque frui debet tamquam bonus paterfamilias. (aa. 625-636)

#### § 5. DE SERVITUTE.

**496. DEFINITIO.** Servitus in Jure nostro (C. C. a. 637) definitur : Onus impositum uni fundo pro usu et utilitate fundi ad alium dominum

spectantis. Haec dicitur servitus *passive sumpta*. Hinc oritur servitus *active sumpta* seu jus quod dominus, ratione fundi sui, habet ad hanc utilitatem ex alieno fundo obtinendam. Nomine autem fundi hic intelligitur quaecumque res corporalis, natura sua immobilis.

#### DIVISIO.

1° Ratione originis, servitus potest esse *naturalis, legalis* vel *conventionalis*. (a. 639)

Naturales sunt servitutes quae ex ipsa locorum dispositione oriuntur. Ex. gr. fundi situ inferiores debent excipere aquas quae sponte a superioribus defluunt. (a. 640)

Legales sunt eae quas lex propter utilitatem publicam vel privatam imponit. (a. 649) Harum objectum sunt viae quae relinquendae sunt in ripa rivorum quibus naves vehi possunt (chemin de halage), muri vel fossae intermediae et similia.

Conventionales sunt eae quae, e libero consensu dominorum, uni fundo in alterius favorem imponuntur. (a. 686)

2° Ratione modi quo exercentur, distinguuntur :

a) *Continuae* et *non continuae*. Continuae eae sunt quarum usus est vel esse potest continuus, nullo hominis actu interveniente, ex. gr. aquaeductus, cloaca, prospectus, etc. Non continuae sunt eae quae, ut exercentur, actuali hominis interventu indigent, qualia sunt jura transiendi, hauriendi aquam, etc. (a. 688)

b) *Apparentes* et *non apparentes*. Apparentes sunt eae quae operibus exterioribus, ex. gr. fenestra, aquaeductu, manifestae fiunt. Non apparentes. quae nullo exteriori signo manifestantur, ex. gr. prohibitio aedificandi in aliquo fundo vel supra altitudinem determinatam. (a. 689)

3° Ratione rei immobilis in cujus favorem statutae sunt, servitutes distinguuntur in *urbanas*, seu in favorem aedificiorum stabilitas etiam ruri, et *rurales*, seu in favorem praediorum (fonds de terre) stabilitas. (a. 687) Haec tamen distinctio minoris momenti est in Jure nostro.

**497. DISPOSITIONES JURIS.** De *acquirendis* servitutibus quae non sint legales vel naturales agit C. C. aa. 690-696. His statuitur servitutes continuas simul et apparentes, easque solas, acquiri posse per possessionem 30 annorum absque titulo, ex. gr. servitute aquaeductus qui per fundum alienum decurrat ; servitutes vero continuas non apparentes vel servitutes discontinuas acquiri solo titulo legitimo, puta donatione, venditione, testamento.

Ut autem definiantur *mutua jura et obligationes* illius qui servitute gaudet et illius qui eam patitur, imprimis attendendum ad generale principium juris naturalis : priorem non posse extendere jus suum cum